Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26825
Copyright: Admont, Benediktinerstift

omnibus sanctis consortes fieri, et gratiam invenire apud dominum nostrum Iesum Christum, cui est honor et gloria cum deo patre in unitate spiritus sancti in secula seculorum. Amen.

Marine virginis.

Fuit quidam vir in Bythinie provincia degens nomine Eugenius. Hic habuit coniugem que ei peperit unicam filiam et vocavit nomen eius Marinam. Defuncta est vero mater eius, et enutriebat pater infantulam in multa doctrina et venerabili vita. Cum autem crevisset, dixit ei pater eius: Filia mea, ecce omnia que sunt nobis trado in manibus tuis. Ego enim vado in monasterium animam meam salvare. Respondit ei infantula dicens: Domine pater, tu animam tuam vis salvare et meam perdere? Nescis quia dicit dominus: Quia pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis. Et iterum: Anima que salvat tanquam que edificat. Hec audiens pater eius conpunctus est in sermonibus eius. Flebat enim et lugebat amariter. Et ait ad eam pater eius: Et quid tibi inquit habeo facere filia? Quia ego in monasterium volo intrare, et quomodo mecum potes esse, eo quod diabolus propter te inpugnat servos dei? Respondit autem puella et ait: Domine mi pater, non introeam sicut tu dicis, sed tondebis comam capitis mei et indues virile habitum, simulque tecum ingrediar in monasterium. Quibus placatus sermonibus pater divisit omnia que possidebat pauperibus, et tondens comam capitis eius induensque virilem habitum cognominavit eam Marinum. Hec admonens eam et dicens: Vide filia quomodo serves te ipsam, quia in medium ignis ingressa es, eo quod mulier non ingreditur in cenobium sanctorum patrum; sed serva temetipsam inculpabilem Christo, ut possimus adimplere desiderium nostrum. Et accipiens filiam suam et ingressi sunt in cenobium. Igitur de die in diem proficiebat infantula in omnibus virtutibus et multis studiis. Omnes vero fratres putabant eum eunuchum esse, pro eo quod esset sine barba et exili voce. Alii autem existimabant pre nimio studio ieiunii, quia post biduum vel triduum victum accipiebat. Post aliquantum vero temporis spatium contigit patrem eius ex hoc seculo migrare. Cuius post obitum tanta studii amplius augmentavit in obedientia sua et venerabilibus moribus in tantum, ut etiam gratiam carismatum accipere meruisset a domino contra demonum invasiones. Cuicumque enim infirmo manus imponeret, statim sanabatur. Habebat autem monasterium quadraginta cum eo monachos sanctos, et premisses quatuor e fratribus dirigebantur in utilitatibus monasterii, quia et aliorum habebat curam. In medio vero itineris susceptorium erat, et ambulantes atque revertentes fratres propter longinquitatem itineris illic lassitudinis sue requiem accipiebant. Sed et stabularius multam eis hospitalitatem exhibebat, suscipiens eos devote. Una igitur dierum convocans abbas monasterii fratrem Marinum dixit: Frater, scimus conversationem tuam in omnibus esse perfectam et obedientiam tuam efficacem. Vade ergo in diaconia monasterii, quia et fratres contristantur si te ingredientem viderint in cenobii ministerio. Hoc enim faciens ampliorem mercedem sumes ab omnipotente deo. Cumque ingressus fuisset cum ceteris tribus fratribus, diverterunt apud stabularium. Et contigit quendam militem deviolare filiam stabularii, et statim concepit. Hoc sentiens miles cum egrederetur ait ad eam: Si cognitum fuerit patri tuo, dicito quia monachus ille iuvenis decorus de cenobio dormivit mecum. Cum autem appropinquaret dies ut conciperet, statim miles abiit. Cognoscens autem post dies aliquot pater eius quia in utero habebat, discutiebat eam pater eius dicens quis nam hoc fecisset. Illa autem misit crimen super fratrem Marinum dicens: Quia iuvenis ille formosus de cenobio qui dicitur Marinus, quem dicitis esse christianissimum, ipse dormivit mecum. Tunc accipiens eam pater eius venit ad monasterium et cepit bachando clamare et dicere: Ubi est ille seductor quem dicitis esse christianum? Cum vero obvius ei fuisset ostiarius monasterii, dixit ei: Quid vociferas frater? At ille respondit: Vere mala hora locutus sum vobis, et non contingat mihi de cetero videre aliquem monachum vestrum, quamquam huiusmodi sunt. Similiter quoque abbati dicebat, quia filiam quam habui in spem per quam ducebam senectutem meam refocilare, ecce frater Marinus quem dicitis esse christianissimum violavit. Respondit autem abba et dixit ei: Quid tibi habeo facere frater, cum ille hic non sit? Sed cum venerit aliud non est nisi ut mittam eum foras de monasterio. Revertente autem Marino de diaconia monasterii cum ceteris fratribus, dicit abbas ad fratrem Marinum: Hec est conversatio tua et studium ieiuniorum tuorum, ut cum apud stabularium mansionem fecisses deviolares filiam eius? Et veniens hic theatrum nos effecit secularibus. Audiens hec Marinus procidens ad pedes abbatis dixit: Pater, ignosce mihi propter dominum, quia sicut homo sic homo erravi. Tunc iratus est abba, fortiter cesum misit eum foras de monasterio, dicens ei: Quia iam non egredieris in monasterium. Qui egressus sedebat ante fores monasterii. Fortiter tolerabat hiemes, frigus et estus ardorem. Quicumque enim ingrediebantur in monasterium interrogabant dicentes: